


EPISTULA LEONINA

CCX

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DECIMAM (210) !

ARGUMENTA

ANNUIT COEPTIS.....	03
MYTHI GRAECORUM: Quomodo Theseus ad patrem migraverit.....	04-07
DE FABULA SERICI BARICCONIANA (Wikipedia: "Seide", Baricco).....	08-18
EXISTIMATIO LIBRI: Versio »Serici« Latina a Francisco X. Morente confecta...	19-20

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**


Cara Lectrix, Care Lector,

Epistulam Leoninam tibi offero ducentesimam decimam (210). Utinam tibi sit occasiuncula has pagellas Latine scriptas perlustrandi. Sed nunc cena tibi apposita est opipara: tolle lege fruire!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß


Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
Die Lunae, 10. m.Febr. a.2020**



ANNUIT COEPTIS et **NOVUS ORDO SECLORUM** sunt verba sigillo Civitatum Unitarum Americae inscripta, quod inest etiam schedinummo unius dolarii. *Annuit coeptis* sunt verba e versu 625 libri noni Aeneidos excerpta: *Iuppiter omnipotens, audacibus annue coeptis*. His verbis Ascanius filius Aeneae incohat preces suas proelium contra Rutulos facturus. Verba autem, quae sunt *ordo seclorum*, inveniuntur in Eclogâ Vergilii quartâ, quae scripta est a.40 a.Chr.n. et Gaio Asinio Pollioni poetae viroque politico dedicata. Hôc in carmine Vergilius vaticinatur infantulo quodam nato incohatum iri aetatem pacis auream. En habeas versûs poetae illustrissimi eclogae 5-8: *Ultima Cumaei venit iam carminis aetas; magnus ab integro saeculorum nascitur ordo. iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna, iam nova progenies*. Rumores ferunt verba, q.s. Novus Ordo Seclorum, spectare ad Novum Ordinem Mundi, quem condituri sint *Illuminati* aut *Francomurarii* aut *Bilderbergiani* totius orbis terrarum dominatores clandestini et divitissimi et potentissimi, a quibus politici nobis nôti dirigantur tam devotê oboedientes quam neurospasta filis tracta. Tales rumores solent irrisoriê appellari nuntii falsati aut theoriae conspirativae. At nonne tales interdum appellantur nuntii veri, quorum publicatio potentibus est ingratisissima? Nonne iam *Eisenhower* et *Kennedy* praesides Civitatum Unitarum cives suos monuerunt cavendum esse *complexum militari-industrialem* sive civitatem profundam (*deep state*)?

MYTHI GRAECORUM: THESEUS

Quomodo ad patrem migraverit

Primus vir scelestus, in quem Theseus incidit, fuit *Periphetes* praedonialis clavâ ferratâ armatus, quâ migratores humum prosternere solebat et unde appellabatur Κορυνήτης, id est Claviger.



THESEUS ET PERIPHETES

Iste furcifer e silvâ obscurâ prosiliens Theseo in regionem Epidaurensensem venienti viam praeclusit. Iuvenis autem animo laeto Corynetae acclamavit: »Heus miserrime! Recto tempore advenisti; clava tua bene decebit eum, cui in animo est in publicum prodire alter Hercules!« His verbis evocatis Theseus in praedonem invectus eundem post pugnam brevem occidit. Clavam e manu occisi ereptam et telum et signum victoriae secum abstulit.

In alterum virum nefarium Theseus incidit in Isthmo Corinthio; qui vir fuit Sinis Πιτυοκάμπτης, id est Flexor pinuum; eidem furcifero hoc supernomen impositum est, quia, cum aliquem migratorem comprehenderat, manibus suis ingenti robore praeditis duo culmina pinuum deflectere solebat; quibus captivum alligabat. Deinde culmina e manu emissa resiliebant, ut corpus hominis alligati discinderetur. Theseus autem istud monstrum occidens primum usus est clavâ nuper

acceptâ. Sini erat filia gracilis et perpulchra, nomine *Perigûna*, quam Theseus viderat aufugientem terrore correptam, cum patrem occîdit, et nunc ubique quaerebat.



THESEUS ET SINIS

κόλιξ attica. 490–480 a. Chr. n.

Puella se abdiderat in locum plantis hortariis densê obsitum et frutices, quâ erat innocentîâ puellari, quasi hoc intellexerent, obsecrabat eo quod iuribus iurandis vovebat se eos numquam violaturam aut combusturam esse, si quidem iidem se obtegentes servavissent. Cum autem puella a Theseo esset revocata, qui affirmavit se illi nihil mali esse facturum, e fruticeto erepsit et inde sub Thesei tutelâ mansit. Iuvenis eam postea Deïoneo, filio Euryti rēgis Oechaliae, dedit in matrimonium ducendam. Perigûnae tota proles ius iurandum fideliter servans numquam combussit unum e fruticibus, qui protexerant generis auctricem.

At non solum ab hominibus perniciosis Theseus viam purgavit, quâ iter faciebat; etiam contra bestias perniciosas putavit sibi esse pugnandum. Itaque cum ceteras bestias tum *Phaeam* occidit: sic appellabatur *Sus Crommyonius*, qui non erat bestia communis, sed pugnax et difficilis devictu.

His rebus confectis limites Megarae accedens incidit in *Scironem*, tertium praedonem viarium infamem, qui versabatur in altis saxis inter Atticam et terram Megarensium sitis. Iste furcifer quadam cum lasciviâ scelestissimâ peregrinis solebat pedes suos praetendens

imperare, ut eos lavarent, et cum hoc fiebat, illos ictu pedis in mare praecipitabat. Idem supplicium Theseus nunc sumpsit de ipso Scirone. Cum iam regionem Atticam accessisset, prope urbem Eleusin, incidit in *Cercyonem* praedonem; iste praetermigrantes ut secum luctarentur adhortatus, cum vicisset, illos occidebat. Theseus adhortatione acceptâ Cercyonem devincens homines a monstro horrendo liberavit.



Postquam parvo tantum spatio iter perrexit, pervênit ad ultimum omniumque crudelissimum illorum praedonum vialium, qui nomine erat *Damastes*, sed ab omni appellabatur cognomine suo *Procrustes*, id est extensor membrorum. Idem autem habuit duos lectos, unum perbreve, alterum perlongum. Si qui peregrinus in eius casam pervenerit, qui erat staturâ brevi, cubitum iens ab atroci praedone ducebatur ad lectum longum. Tum: »Ut vides«, inquit, »lectus meus tibi est nimis longus; care amice, licet te ad lectum adaptem!« His dictis membra convivae in tantam longitudinem extendit, ut is animam efflaret. Si autem advenerat conviva longus, Procrustes eum adducebat ad lectum brevem eique dicebat: »Doleo, mi bone, quod lectus meus, cum non sit tibi factus, nimis parvus est, sed mox te adjuvabo!« Deinde convivae pedes tanto praecidebat, quanto lectum longitudine superabant. Iste furcifer, qui erat gigas, a Theseos collocatus est in lecto parvo eiusque corpus tanto praecisum, ut praedo miserrimê interiret. Ita plerique homines scelerati manu Thesei iustê puniti sunt eodem modo, quo ipsi iniurias perfecerant.

In toto itinere usque nunc facto heros in nullam rem incidit iucundam. Tandem autem, cum Theseus veniret ad Cephissum flumen, incidit in nonnullos viros gentis *Phytalidum*, a quibus receptus est hospitaliter. Primum omnium Phytalides a Theseo rogati eum ritibus solitis purgaverunt a sanguine effuso et in domo suâ convivio acceperunt. Cenâ pollucibili perfructus probis hominibus cum medullitus gratias egisset, iter flexit in patriam propinquam.

MYTHOS GRAECORUM


ENARRAVIT

GUSTAVUS SCHWAB

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

DE FABULA SERICI BARICCONIANA




SETA (i.e. *sericum*) est fabula romanica Itali auctoris, cui nomen est *Alessandro Baricco* (i.e. Alexander Baricco, casus genitivus Latinus sit Alexandri Baricconis). Haec fabula a.1996 edita est. Hic libellus multis in terris plurimum divenditus a.2007 a *Francisco Girard* ad cinema redacta est. In regionibus germanophonis Baricco a.1997 innotuit versione theodiscâ.

Haec fabula romanica agitur ante recessum fabricationis serici, quae facta est medio saeculo undevicesimo in Francogalliâ australi. Persona praecipua est invector bombycum, qui inter annua sua itinera in Iaponiam facta in amorem incidit iuvenis Iaponicae, sed amor eius numquam expletus numquam transgreditur cupidinem atque desiderium. Elocutio insignis est brevitate sermonis, qui appellatur *minimalismus*, id est auctor saepe utitur ellipsis. Eadem elocutio a philologis saepe comparata est cum serici levitate atque perluciditate.

Argumentum


Cum saeculo undevicesimo Dominus Baldabius (*Baldabiou*) negotiator sedem suam in Villam Dei (*Lavilledieu*) vicum in Francogalliâ australi situm transtulerit, vita vicinorum, qui contemplatione sui fruuntur, valdê mutatur. Eo quod Baldabius

condidit complures officinas sericarias, vicus opulentiâ auctus fit unum e centris europaeis serici fabricandi.



Bombyx mori. *supra:* a sinistris mas, a dextris femina. *in mediâ parte:* eruca. *infra:* a sinistris *bombylis* (PLIN.nat.XI 76), a dextris *pupa*, quae a Plinio (ibid.) appellatur *necydallus* (cfr König/Hopp, Gaius Plinius Secundus, Naturkunde, Bd.XI, WB Darmstadt 1990, p.201,76.

Hervêus Joncour, filius burgimagistri, qui usque nunc huc illuc sine certo proposito vagatus est, avertit a cursu honorum militari, qui sibi praedestinatus esse videtur. Inde ei mandatur, ut semel in anno iter faciat periculosum in Africam, unde afferenda sibi sunt ova bombycum nova, ne proles bombycum deficiat.



Ecce officina sericaria Iaponica in urbe Tomiokâ aetate *Meiji* condita

At a.1861 numerus bombycum in Europâ et Africâ *lue nosêmatis* tantum deminutus est, ut periculum sit, ne fabricatio serici Villae Dei esset deperitura. Itaque Baldabius Herveum mittit in Iaponiam, ut e civitate insularum praeclusâ secum afferat erucas sericarias nullâ lue affectas. Itinere trium mensium facto Herveus Iaponiam advenit. In montibus prope urbem *Shirakawam* sitis îdem iuvenis incidit in *Haram Keum*, principem provincialem, qui, cum diutius inter se egerint, erucas ei vendit optimae qualitatis. Iuxta eum versatur mulier, quae est facie puellae, oculis europaeis. Oculis semel inter se coniectis Herveus, quamvis cum Helenâ uxore feliciter matrimonio coniunctus, in amorem incidit iuvencae Iaponicae.

Annis sequentibus Herveus repetit iter Iaponicum sibi ipsi necnon industriae vici sui sericariae lucrosam. Semper convenit Haram Keum, semper iuxta eum versatur mulier illa iuvenis. Amor autem mulieris Herveique mutuus non exprimitur nisi oculis inter se coniectis, parvis rebus memorialibus traditis, et tacito amplexu semel tantum inter balneationem ritualement factam. At a.1865 in Iaponiâ res funditus mutatae sunt.



Aetate, quae appellatur *bakumatsu*, fiunt seditioes et attentationes peregrinis adversae. Baldabius quamvis aliam occasionem bombyces comparandi opportunam nactus denuo curat, ut Herveus possit iter facere in Iaponiam. At vicus Harae Kei, cum Herveus eum assequitur, destructus est et desertus. Nonnullis demum diebus post îdem incolas

vici invenit agminis profugorum participes, sed Herveo non contingit, ut revideret mulierem iuvenem. Hara Keus Herveo mortem minans imperat, ut aufugiat, ne umquam redeat. Herveus autem *Yokohamam* reversus curat, ut accipiat erucas novas. At nimis sero Francogalliam cum adveniret, larvae bombycum iam exclusae sunt mortuae.

Herveo totâ possessione suâ ad viridarium exstruendum uso id contingit, ut incolis Villae Dei amissionem annuae fabricationis sericariae compenset, sed ipse incidit in quandam depressionem animi profundam. Sex mensibus elapsis, quibus vivit a ceteris hominibus seclusus, accepit epistulam signis Iaponicis scriptam, quam apparet misisse iuvenca illa Iaponica. Quâ epistulâ, cum sit et lascivê amatoria et dolorosê valedictoria, uso Herveo contingit, ut in animo suo concludat experientias itineris Iaponici. Inde ex hâc tempore Herveus unâ cum Helenâ uxore vitam agit contentam atque modestam. At mortuâ demum Helenâ, a.1875, Herveus invenit epistulam illam amatoriam iaponicam reverâ esse ab Helenâ scriptam.



Forma fabulae

Serici versio theodisca complectitur 16.000 (sedecim milia) ferê verba, editiones huius libri pro magnitudine typorum habent minimum 118, maximum 153 paginas. Adversus parvitatem suam hic textus prosaicus ab editoribus dicitur esse fabula romanica. *Gerhilda Fuchs* fabulam *Serici* in monographiâ operum Baricconis putat similiorem esse fabulae novellae dicitque elocutione Baricconianâ se moneri minimalis artis figurativae et musicae, *Silvia Contarini* in disquisitione suâ libellum *Serici* comparat cum versuum haicum brevitate Iaponicorum. Minimalismus *Serici* differt a Baricconis modo narrandi usitato, qui saepe fusa est et experimentis stilisticis abundat. Una tamen qualitas Baricconis typica etiam in *Serico* invenitur: Vigor elocutionis musicus, qui apparet in longis et prolixis sententiis more versuum intercalarium compositis.


Haec fabula romanica divisa est in 65 capitula brevia, quae singula complectuntur aut minimum dimidiam, maximum duas paginas; inde aliquatenus speciem habet fragmentorum. Breves sententiolae principales inter se coniunctae sunt ratione paratacticâ. Ipsum quoque argumentum non describitur nisi primoribus tantum labris attactum. Iterum iterumque fiunt magni saltûs temporales, causalitas et cohaerentiae rerum factarum manent lacunosae, personarum causae agendi animorumque commotiones reticentur. In huius fabulae romanicae in centro positae sunt res indictae, loci vacui oportet expleantur a lectore ipso. Ellipses stilisticae respondent numerosis areis paginarum vacuis, quae ortae sunt capitulis brevibus.

Interpretatio

Personae

Hervêus Joncour non est protagonista Barriconis typicus. Qui nihil habet extraordinarii et insoliti, quibus excellunt personae aliarum Barriconis fabularum. Qualitas Hervei praestantissima est eius mediocritas. Cursus vitae, quem tenet, determinatus est ab aliis, primo a patre, deinde a Baldabio advenâ. Eius actiones esse subsidiarias cum aliis tum praecipuê apparet amore erga puellam iaponicam. Loco osculi dandi ambo bibunt ex eodem pocillo theano, actum venereum Herveus exercet cum vicariâ, quae ab illâ est electa. Herveus ipse

parum agit, sed vivens personam gerit observatoris passivi. Etiam postquam sêro cognovit se per totam vitam non habuisse uxorem suam perspectam, ultimos annos suos degit sensu quodam monotoniae: *Partem temporis reliquam trivit variis consuetudinibus, quibus servatus est ab animi infelicitate.*



Baricco neque indolem Hervei neque ceterarum personarum fabulae romanicae accuratius descripsit. Itaque mentis Herveanae instabilitas et incertitudo neque explicatur neque difficultas tractanda inducitur. Etiam Helena aut Baldabius nihil manent nisi una prototypon superficiale modestiae, misericordiae, fortitudinis, alter prudentiae, energiae, perseverantiae. Baldabius praeterea lusione tudiculari, in quâ manus dextra ludit contra sinistram, symbolum demonstrat fortunae hominem temptantis eo, quod ex exitu lusûs concludit, quomodo perrecturus sit vivere, et denique tam improviso evadit quam olim in vico apparuerat. Inter Iaponicas autem personas *Hara Keus*, dominus provinciae mysterialis, se praebet peregrinum atque exoticum, mythicum atque periculosum. E contrario eius concubina iuvenis, quâ est oculorum formâ insigniter europaeâ, lectorem a rebus alienis ad consuetas ducens inter se coniungit rationem exoticam cum familiari.

Leve atque nihilum

Iam titulo *Serici* proponitur narrationis programma. *Gerhilda Fuchs* verbis effert ut materiam fabulae, id est sericum, ita etiam textum insignem esse magnâ levitate atque perluciditate. Quae cohaerentia a multis existimatoribus magni aestimata est. Thema gravissimum cupiditatis, cuius obiectum neque est visibile neque comprehensibile, remanet in planitie phantasmagoriae. Fabulae inest magna dialogorum paupertas. Herveus Joncour eiusque uxor per totam fabulam romanicam vix ullum verbum inter se faciunt. Necnon ratio, quae intercedit inter Herveum et iuvenecam Iaponicam, quam amat, insignis est paenuriâ colloquendi, etsi eadem efficitur circumstantiis externis. Haec paenuria compensatur gestibus, actionibus, oculorum coniectibus.

Hac fabulâ romanicâ saepius alluditur ad notionem nihili, e.g. Hara Keus dicitur moveri per spatium vacuum, primusque oculorum Hervei puellaeque coniectus mutuus fit in tanto silentio, ut *ea res, quae improviso facta est et tamen fuit nulla, videretur esse ingens*. Herveus, cum ultimo Iaponiam adveniat, ante se conspicit nihilum. Subito id vidit, quod putaverat esse invisibile. Finem enim mundi. Ex eo, quod realitas describi non potest, in fabulâ Baricconis consequitur rem tractandam evanescere. Nihil autem restat nisi ipsa fabulae narratio, res gravissima est elocutio ipsa *libri, quo agitur de nihilo et in quo nihil valet nisi elocutio*.

Quatenus Baricco alludat ad Flaubertum



Salammbô. Lithographia a.1886 ab *Alfonso Mucha* confecta.

Baricco autem in fabulâ *Serici* compluries alludit ad fabulam *Gustavi Flaubert*, quae inscribitur *Salammbô*. Secundum Gerhildam Fuchs auctor fabulâ Flauberti memorandâ specie alludit ad a.1861, quo *Salammbô* edita est, sed reverâ totus textus *Serici* habendus est pro hypertextu sive stilisticâ imitatione postmodernâ fabulae Flauberti romanicae. *Sericum* enim et *Salammbô* multa habent inter se similia: res exoticae atque extraneae, quibus haud minus attrahitur lector quam protagonista, et res mythicae, quae de Carthagine Flaubertianâ ita narrantur ut de Iaponiâ Baricconis arcanâ et praeclusâ, necnon res prohibitae et periculosae, quibus utrâque in fabulâ circumdata est mulier illecebrosa. Hervei mediocritate lector monetur *FridERICI Moreau*, personae praecipuae alterius operis Flaubertiani, quod inscribitur *L'Éducation sentimentale*.

Etiam elocutione in *Serico* adhibendâ, quae ratione narrandi minimalisticâ atque paratacticâ sibi parum consueta est, Baricco recipit rationes Flaubertianas, qui eo quod ordinis actorum negligentiam exprimere volebat rerum mundi inanitatem. At Baricco contra ac Flaubertus non exprimit considerationem mundi criticam aut pessimisticam. Contra ac Flaubertus in fabulâ, quae inscribitur *Madame Bovary*, Baricco in *Serico* non curat, ut patefaciat veritatem illusionem tollendâ. Incommoda saeculi undevicesimi socialia ita praetermittuntur ut vitae oppidi provincialis egenitas. Mundus sanus, in quo agitur haec narratio, magnam partem restat intactus atque infractus. Eo quod mundum describit limitatum merêque fictivum, Baricco se praestat postmodernistam, qui non studet imaginem realitatis depingere complexam, sed derivat metaphoras et parabolas de existentiâ humanâ dictas, velut desideriorum ineffabilitatem atque inexplebilitatem.

Quomodo *Sericum* Baricconis receptum sit

Liber *Serici* a.2008 in triginta duas linguas conversus multis in nationibus est plurimum divenditus. Versio *Catharinae Krieger* a.1997 edita fuit primum opus Baricconianum linguâ theodiscâ publicatum. Quâ auctor in regionibus germanophonis innotuit. Iam ipso anno primae editionis Piperianae haec versio septies est impressa et exempla sunt vendita plus centum milia.



Elca Heidenreich hanc fabulam romanicam appellavit *tam levem quam pannum sericeum*; quâ comparatione usa etiam est NDR 1 statio radiophonica: *Tam tenera quam pannus sericeus, tam romanticus quam ortus solis aestate ineunte, tam lepidus quam subrisus dominae Iaponicae – talis est haec fabula Alexandri Baricconis amatoria.* Periodicum muliebre, cui nomen est *Brigitte*, sic iudicavit: *Hac in fabulâ amatoriâ mirabiliter levi simulque melancholicâ omne verbum quadrat, omnis gestus habet sensum atque significationem.* *Martina Gollhardt* in *KulturSpiegel* conclusit haec: *Fabula amationis erraticiae simpliciter narrata se praebet calligraphiam severam perquam eroticam, quam explicare iucundum est.*

Marina Neubert hanc fabulam romanicam habuit pro opere litterario excellentissimê facto, *densitate poeticâ extraordinariâ tamquam breve opus musicum composito, in quo omnis nota consideratê est electa omneque ornamentum est praetermissum*“. At decem annis post editionem theodiscam primam eadem philologa putavit *Serici* publicationem tam feliciter successisse, quia argumentum huius opusculi a plerisque lectoribus falso esse intellectum credentibus auctorem voluisse narrare de amore Hervei Joncours inexpleto, quamvis *Baricco* ipse *Hervei cupiditatem amandi haud comprobaret, immo quibusdam in locis irrideret.* In fine demum Baricconem Hervei

desiderio tritis tantum verbis descripto opposuisse amorem verum, id est amorem Helenae uxoris.

Liber *Serici* a.1997 a *Christiano Brückner* recitatus est, ut fieret libellus auditorius. A.2003 *Jobst Christian Oetzmann* eâdem fabulâ usus confecit drama auditorium. Quo in dramate locuti sunt cum alii tum hi: *Jeanette Hain, Martin Feifel, Nikolaus Paryla*. A.2007 argumentum *Serici* ad cinema redegit, quod fuit coproductio internationalis. Cuius cinematis personas praecipuas gesserunt *Keira Knightley, Michael Pitt, Alfred Molina, Kōji Yakusho*.

Quomodo de versione theodiscâ litigatum sit.

Cum *Catharina (Karin) Krieger* Germana translatrix postularet, ut a posteriori particeps fieret lucri, quod exortum esset *Serico* theodiscê reddito, litigatio facta est inter Catharinam et domum editoriam Piperianam. Piperiani, cum primum concessissent, ut Catharina lucri particeps fieret, postea annuntiaverunt se versiones Catharinae operum Baricconianorum e mercatu ablaturus esse et alii interpreti mandaturos esse, ut is scriberet versiones novas, novamque quoque versionem editionis *Serici* palmaris praedispositae. Causa iudicialis facta est usque ad aulam iudicalem foederalem Caroliruhensem. Haec aula a.2004 diiudicavit Piperianis praebendas esse versiones iam publicatas novis quoque editionibus ideoque iura translatorum exauxit confirmavitque. Etiam editiones posteriores et licentiatæ continuerunt versionem *Catharinae Krieger* originalem.



ALESSANDRO BARICCO
(*1958)

Literatur

Textausgaben

- Alessandro Baricco: *Seta*, 20. Auflage, Rizzoli, Milano 2007 (Erstausgabe 1996), [ISBN 88-17-66059-0](#).
- Alessandro Baricco; Maddalena Agliati, Birke Vöhringer (Hrsg.): *Seta*. [Reclams Universal-Bibliothek](#) Nr. 19734, *Fremdsprachentexte*. Reclam, Stuttgart 2008, [ISBN 978-3-15-019734-9](#) (Italienische Ausgabe für die Bundesrepublik Deutschland, Österreich und die Schweiz).
- Alessandro Baricco: *Seide*. (Originaltitel: *Seta*, aus dem Italienischen übersetzt von Karin Krieger), Piper, München / Zürich 1997, [ISBN 3-492-03944-8](#), aktuelle deutsche Taschenbuchausgaben: dtv 25269 ([Großdruck](#)), München 2007, [ISBN 978-3-423-25269-0](#) / dtv 13335, München 2006 [ISBN 978-3-423-13335-7](#).

**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
QUAE SPECTAT AD FABULAM SERICI
ITALICAM
AB ALEXANDRO BARICCONE
SCRIPTAM
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**

EXISTIMATIO LIBRI:

»SERICUM« Baricconianum

a Francisco Xaviero Morente Latine redditum

Alexandri Baricco SERICUM.

In linguam latinam ex italicâ convertit **Franciscus X. Morente Mellado.**

Domus Editoria Neolatina Villae Siccae 2019.

Titulus originalis: Seta. Omnia iura reservata a.1996 RCS Libri SpA Milano.

Iura translationis Latinae: Letrame Editorial.

ISBN: 978-84-17864-66-8

Lepida versio Latina lepidi opusculi Italiani laureati nobis praebetur a *Francisco Xaviero Morente Mellado*. Qui naviter studuit imitari sermonem fabulae originalis, qui a criticis magnâ cum laude dicitur esse tam levis tamque pellucidus quam pannus sericeus. Interpres Latinus sapienter fecit, quod primum librum Latinê reddendum sibi elêgit fabulam sat brevem brevibusque sentiis simpliciter compositis insignem. Tamen adnotandum est sententias breves simpliciter compositas non semper faciles esse redditu, immo ipsam brevitatem interdum esse causam difficultatis.

Si quis textum linguae alienae in Latinam convertere vult, oportet formam nominum priorum, quantum fieri potest, adaptet ad Latinitatis consuetudinem, ne nomen extraneum, si quidem saepius inest versioni Latinae, discrepet a Latinâ phoneticâ, orthographiâ, morphologiâ. Si est substantivum aut adiectivum, oportet in casûs declinari possit, si est verbum temporale, oportet coniugari. Licet nonnulli Latinitatis vivae sodales me hoc postulantem vituperent. Sed mihi persuasum est Romanos multo magis sermoni quam purissimo colendo deditos fuisse quam nos hodiernos; verba peregrina (exceptis scilicet graecis) multo rarius adhibuisse, sed si adhibuerint, ad formam Latinam redegissee.

Hoc dicam pace interpretis, qui interdum moderna nomina non Latina affert formâ parum Latinâ, e.g. p.17: «in suum *Pernod* duos aquae digitos effundebat (melius : infundebat)» cfr p.22: ubi ter invenitur, melius: anisatum. – p.23: «*Perry*» (nomen gentilicium aut cum praenomine declinabili afferatur oportet aut ad formam declinabilem redactum) – p.26: «*Flaubert Salammbô* conficiebat...» (aptius: *Gustavus Flaubert* aut *Flaubertus*; *Salambonem* aut: *fabulam*

Salambonis) - p.27: «Sed Haram Kei eum videre velle intellexit» (nomen «Kei» cuius forma sit, non bene intellegitur. Quidni hic vir Iapon appelletur Hara Keus, gen.sg. Harae Kei?) - p.33: «Delphinine, *señor?*», cfr p.36: «-Arma, *monsieur*. Et tu?» Item p.89: «Hanc linguam non amo, *monsieur*» (melius: domine). Tales immixtiones allocutionum, quae discrepant ab usu Latino, mihi evitandae esse videntur. - p.45 et p.88: «*Voilà*». (fortasse aptius: *En habes*.) Hoc additamentum francogallicum, licet in contextu linguae alius modernae bene sonet, mihi abhorrere videtur non solum ab usu Latinitatis antiquae, sed etiam recentioris.– «Hoc tibi polliceor, *madame*.» (melius: domina).

Paucas licet addam locutiones minus intellegibiles aut parum quadrantes: p.13 «...electrica lux adhuc coniectura erat...» Quid hoc sibi vult? Fortasse intellegibilis: Electrica lux nondum nota erat nisi per coniecturam. – Circumitiones verborum incommodae: p.43: «in eburnearum pilarum certamine» (brevius: in lusu tudiculari). – p.54 : «Vicus velut insanus formicarum nidus fervere incepit»: Apuleius in Asino Aureo (APUL.met.8,22) dicit formicas borrire. – p.56 : «alcoholicum oryzae liquorem»: brevius dicitur *vinum oryzaceum*. - Pauca addam paragrammata: p.13, lin.3: vixerat (non: viverat) – p.26: habebat longos nigros capillos (non: lungos) – p.34, lin.ultima: “Et in lacus ora, super terra protesi (quid est? - positi?), terga ostendentes, Hara Kei et femina...” -

Sed iamiam taceam de sribiliginitibus minoris momenti. Restat ut plurimum laudemus *Franciscum Xaverium Morente Mellado*, quod magnâ cum industriâ magnoque cum fervore animi interpretatus est fabulam Italicam tam illustrem tamque elegantem. Care Francisce, perge quo coepisti, perge orbem Latinum ditificare versionibus tuis!

**VERSIONEM LATINAM
FABULAE SERICI BARICCONIANAE
A FRANCISCO XAVERIO MORENTE MELLADO
CONFECTAM EXISTIMAVIT
LEO LATINUS**

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hôt tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIS AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mand a- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	0040	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90

28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM DECIMAM
SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**



Die Lunae, 10. m.Febr. a.2020

Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae

